



Per.
Lat
020

Prodit Budapestini VIII., Szentkirályi-u. 28. Calendis et Idibus cuiusque mensis, excepto Iulio et Augusto. — Pretium annuae subscriptionis in Hungaria: 4 coronae. Prostat Parisiis in aedibus
 ▼▼▼▼▼▼▼▼ Croville-Morant, 20 rue de la Sorbonne. — Telephonum: József 858. ▼▼▼▼▼▼▼▼

Imperator Turciae

est, qui curā et sollicitudine¹ affectus chartam geographicam imperii quondam potentissimi Turcorum inspicit, nescius, quid dies vel horae proximae allaturae sint.

Quattuor regum armis coniunctis superabantur copiae parum instructae, quorum hostes infestissimi erant virtutes hostium. Nihil illis profuit dolor² acerrimus, quo periculum patriae propulsare studebant. Inopiā comēatūs, fame, summis angustiis³ rerum necessariorum efficiebatur, quod hostes efficere vix potuissent: clades ingentissima.

Curatores Britanniae humanitate commoti bellantium regum legatos ad



controversias componendas⁴ Londinium invitabant. Aderant omnes, et victores, et victi. Iam iam in eo res erat, ut sanguini caedique finis fieret, cum pars Turcorum inexorabili hostium animo irritati, quo urbem Turcis sanctissimam, Hadrianopolim, nondum ex


pugnatam, sibi vindicare volebant, seditione ortā belli pacisque rectores missos⁵ fecerunt⁵ atque imperatorem ut novos duces crearet, coegerunt.

Timendum est pro humani generis amore, ne sanguis caedesque de integro instauretur. Quod nisi curatores rerum per Europam publicarum depulerint, probro et dedecori omnium gen-

¹ izgatottság ² elkese-
redés ³ szükség ⁴ kiegyen-
lít ⁵ elkerget

tium futurum erit. Saeculi⁶ enim nostri est belli immanitatem coërcere, homines ad amorem mutuum, ad pietatem, ad pacis emolumenta⁷ aestimanda assuefacere. Sine amore res maximae pereunt, amore minimae augentur.

⁶ századunk kötelessége ⁷ áldás.



LECTORIBUS MINIMIS.

Aringus¹ fumo² duratus.²

Erat magnus murus albus, nudus, nudus, nudus
Ad murum scalae,³ altae, altae, altae
Humi autem, aringus fumo duratus, siccus, sic-
cus, siccus.

Venit ille manibus tenens sordidis, sordidis,
sordidis.

Malleum⁴ gravem, magnum clavum⁵ acutum, acu-
tum, acutum.

Funiculi⁶ glomum⁷ amplum, amplum, amplum.

Tunc scalis evehitur altis, altis, altis.
Figitque acutum clavum, clavum, clavum.
Altissime in magno muro albo, nudo, nudo, nudo.



Lepus et pecunia.

Ad narrationem *Francisci Molnár.*

Puer parvus semel im prato ambulans
conspexit leporem, quem ita allocutus est:

— Quid agis, parve lepus?

— Algeo,¹ quia frigus est, hiems est.

Puer parvus, quem miserebat² leporis,
sinu³ nummulum protraxit, quem lepori
daret.


Malleum e manibus emittit, qui cadit, cadit, cadit.
Clavo funiculum alligat, longum, longum, longum.
Et extremo funiculo aringum fumo duratum
siccum, siccum, siccum.

Descendit ille e scalis altis, altis, altis,
Eas aufert cum malleo
gravi, gravi, gravi
Alioque⁸ abit procul,
procul, procul.

Ex eo autem tempore
aringus fumo dura-
tus siccus, siccus,
siccus,

Extremo ex illo funi-
culo longo, longo,
longo,

Lentissime⁹ in¹⁰ utram-
que¹⁰ partem¹⁰ iacta-
tur¹⁰ semper, semper,
semper.



Hanc ego composui fabellam facilem, facilem,
facilem

Ut stomachum¹¹ moverem viris gravibus,¹² gra-
vibus, gravibus.

Risum autem puerulis parvis, parvis, parvis.

Ad Carolum Cros G. M.
V. cl. disc. Andecavi (Gallia).

¹ hering ² füstöl ³ létra ⁴ kalapács ⁵ szeg ⁶ kötél
⁷ gomolyag ⁸ máshova ⁹ lassan ¹⁰ kétfelé lóbálózik
¹¹ gyomor, «boszankodás» ¹² komoly.

— Gratias ago — dixit lepus — non est
opus.⁴


Puer in cogitatione defixus stetit. Sic
enim cogitabat: Certe leporem laesi num-
mulo parvo, parum⁵
ei dedi. Tum sinu
iterum laxato⁶ prom-
psit denarium⁷ a ma-
tre acceptum, quem
lepori obtulit.

— Hunc fortasse
tolles.

— Ne hunc quidem.

Tum puerulus leporem plus pecuniae

¹ fázik ² sajnál ³ «zseb» ⁴ szükséges ⁵ igen kevés
⁶ «megnyit» ⁷ tízfilléres



*Gemitus Pius.**Iosephus Bajza.*

Praeteritis tuis Luctamur tam diu
Gaudere nequeo, Cum ventis, fluctibus,
Futurorumque spem Sidus non elucet,
Iam-iam demisero. Quod ducat ad litus.

O pulchra patria, Qui corda procreas,
Sed labens¹ viribus, Et sensum inicis
Te semper desleo Amandae patriae
Magnis singultibus.² Gentisque et sanguinis,

De te carmen meum Potens qui statuis
Semper dolet querens, Leges et terminum,
Sub atris nubibus O deus gentium,
Tuis vivo lugens. Fac sperem paululum.

Latine vertit A. Kalmár.
 (Löcse.)

¹ hanyatlík ² zokogás.



In agro Mexicano, Talisone mons Colima nuperrime flammam eructavit,¹ qua occasione cineres cum saxis² liquefactis² in regiones circumiacentes mittebantur. Incolarum multitudo fugam capessivit, magnus numerus eorum, qui relictis sunt, periit.

velle existimans illi coronam obtulit, quam die natali ab avo acceperat. Sed lepus caput quassabat.⁸

- Non accipis pecuniam?
- Non.
- Pauper quidem es.
- Pauper sum.
- Alges et non habes, quo quid emas.
- Algeo et non habeo, quo quid emam.
- Neque tamen pecuniā opus est?
- Non.

Puer parvus nullo modo rem intelligere potuit.

Tum lepus

— Rem tibi explicabo, inquit. Apud nos, lepores, pecunia non est res pretiosa. Ea tantum apud vos homines, in pretio est.

Ignium eruptione segetes³ stratae iacent et labor longi anni irritus perit. — Mons Colima metrorum quattuor milia et trecenta altus est; altior igitur Vesuvio Aetnae imposito.

¹ kihány ² láva ³ vetés.



Hélen aëronauta Gallus volatum longissimum parat, itinere Parisiis in Africam, quod est chiliometrorum MMDCCC, tantum ter intercepto.¹ Hic volatus longissimus futurus est, quem Europaeus unquam aëronauta suscepit. Magna certamina, in quibus Beaumont victoriam tulit, minora erant: circuitus² Europaeus 1730, Britannicus 1600, certamen, quod inter Parisios et Romam ponebatur, 1465, novissimum autem iter, quod Garros Tunete Romam fecerat, non erat longius chiliometrorum 1158.

In America longiora spatia pervolabantur, sed saepius intercepta.¹ Fowler aëronauta chiliometrorum tria milia et sescenta pervolavit.

¹ megszakít ² kerülő.

Meā nihil⁹ refert,⁹ utrum denarium, an centum coronas des. Brassica¹⁰ plus valet, quam mille denarii. Mihi tantum id valet, quod edere possum.

Nunc puer meditabatur,¹¹ utrum mos leporum, an hominum melior esset. Sed puer parvus erat, qui disceptationem¹² discernere¹² nequivit. Quis scit — agitabat¹¹ animo¹¹ puerulus, — an lepores prudentiores sint, quam homines. Quod lepori dicturus erat; sed ille aufugit.

Puer deinde multa animo agitabat et fortasse etiam nunc agit.

G. Bermann.

⁸ ráz ⁹ mindegy ¹⁰ káposzta ¹¹ gondolkozik ¹² a kérdést eldönti.

Gallus. V.

Scriptis G. A. Becker, in Latinum convertit —il.

Salvere vos iubeo, inquit Gallus, cum eos peristylum intrantes conspiceret, ubi ipse more solito aëre puro salubrique fruebatur.

— Etiam tu, Lentule? Hem, non times, ne matutina¹ aura humida capillis cincinnatis² nocéat?

— Semper animo prompto³ es ad iocandum, respondit Lentulus, sed desine nunc iocari.⁴ Vos



Salutatio.

ad prandium invitaturus veni, non minus ad delicatissima ostrea Lucrina et rhombum⁵ ponderosum⁶ Ravenna missum, — quod summum⁷ Pomponium allicere potest — quam ut videatis picturam singulari artificio confectam. Non est ignota vobis Issa, cätella,⁸ deliciae

meae. Quam ne lux⁹ suprema⁹ totam raperet, picta¹⁰ tabellā¹⁰ exprimendam curavi, in qua tam similem videbitis Issam, ut nec ipsa sibi tam similis sit. Ponite tabellam iuxta catellam: aut utramque putabitis esse veram, aut utramque esse pictam.

Gallus in cachinnos¹¹ effusus est, quin etiam Calpurnius subridebat.

— Quae quidem tibi omnia credo, inquit Gallus, sed excusatum me habeas, rogo, non possum tecum prandere neque pictā neque verā Issā delectari, quia gravibus causis adducor, ut per aliquot septimanas¹² vitam rusticam agam et iam hodie mane proficiscar.

— Profecturus es? In villam? Exclamant obstupefacti¹³ Pomponius et Calpurnius, dum Lentulus sinistrā mento¹⁴ innixus silebat.

— In villam. Iam praecepi servis, ut vos quoque invitarent.

Si res ita se habet, dixit Lentulus, valere te iubeo. Sed post reditum mecum cenabis?

Lentulus abiit per fauces et atrium, declinans¹⁵ servos praetereuntes, ne quis eorum togam niveam perstringeret.

Capuam igitur, dixit sollicitus¹⁶ Pomponius, et vix se colligere potuit.

Ut in otio langueas¹⁷ et totum voluptatibus te tradas! interfatur morosus¹⁸ Calpurnius. Quid? Mutasti iam hesternā consilia et rationes? Sumusne imberbes¹⁹ adolescentuli, qui tyranno mortem minitatur, ut dein aliquot horis post otiosi voluptatibus indulgeamus?²⁰

Calpurni, respondit Gallus, verba inconsiderate dicta et vino elicita²¹ non sunt gravitate metienda. Licet vehementer offensus sim a viro, cui omnia debeo, neque tamen obliviscar, quanta gratia ei referenda sit. Ob id ipsum, quod me facile irritari²² cognovi, consilium cepi ruri habitandi, etenim Vergilius et Propertius quoque Romam reliquerunt, ut felicitate vitae rusticae delectarentur.

Bene dixisti, respondit Pomponius, quasi e somno excitatus, dum Calpurnius aversus labra²³ compressit. Sic aperte declaras te seditionis participem esse nolle. Aderimus fideles tui amici, qui omne periculum a te propulsabunt.²⁴ Proficiscere igitur secundo omine! Vale!

Quae fatus una cum Calpurnio a Gallo discessit.

Reliqua deinceps persequemur.

1 reggeli 2 fodorit 3 kész 4 tréfál 5 rh. hal
6 súlyos 7 legfeljebb 8 kis kutya 9 halál 10 kép
11 kacagás 12 a hét 13 elcsodálkozik 14 az áll 15 távolfart
16 aggodó 17 ellanyhul 18 mogorva 19 csupasz
képű 20 hódol 21 kicsal 22 izgat 23 ajak 24 elhárít.

De floribus sanguineis Sztrecsnoensibus.

Scriptis Viktor Rákosi, in Latinum convertit: —il.

Dum in iugo glandes ferreae magno cum fragore dissultabant,⁶⁹ milites sagis⁷⁰ cinereis⁷⁰ induti⁷⁰ magno clamore sublato cuncti ad ipsas concaedes apparebant.

— Conicite⁷¹ in eos glandes,⁷¹ exclamavit Szeredai.

Densissimus incubat fumus⁷² pugnantis.


69 szétrepül 70 szürke köpenyeges 71 lö 72 füst

— Onerate⁷³ sclopeta!⁷³ Iaculamini!⁷⁴ edixit Szeredai.

Fragor fit sclopetorum. Clamor hostium conticescit. Sed sonitus tormentorum bellicorum stridorque glandium⁵⁸ ferrearum sine intermissione auditur.

Discipulus Sárospatakiensis iam in iugo erat et illinc clamabat:

— Russi iam in fugam se dant! Vivant Hungari!... Praefecti milites consistere



Montes Carpathes.

iussos ordinant. Tormenta bellica huc dirigunt. Attendite... sacer⁷⁵ esto!...⁷⁵

Discipulus cruentus ad sodales devolvitur.⁶⁰

— Date mihi sclopetum, dixit rauca⁷⁶ voce, sinistra manus assula⁶³ quadam ferrea⁶³ icta est...

Szeredai inspiciebat vulnus eius. Humerus ei erat traiectus. Amovebatur.

Discipulus collectis⁷⁷ spiritus⁷⁷ suspiriis⁷⁷ delirabat: Appropinquant... nolite de me solliciti esse... sclopetum... aquam date mihi, aquam...

Tympanista bibere ei dedit faciemque eius lavabat.

— Attendite! clamabat custos ad concaedes.

Milites nostri in hostes glandes repetitas coniecerunt. Sed concaedes labefactatae⁷⁸ sunt, prope dissultarunt⁶⁹ eodemque tempore super cohorte nostrā duo globi ferrei displosi sunt.

Fauces⁵⁷ densissimo fumo complebantur. Szeredai contrectabat⁷⁹ artus corporis sui. Non erat vulneratus. Haud procul a pedibus eius permulti vulnerati palpitantes⁸⁰ lamentabantur. Centurio in superiorem locum connitebatur,⁸¹ ut prospectus ei latior pateret. Per fumum dilabentem⁸² videbat Russos oppugnantes et clivos magna ex parte iam ab hostibus obsessos.

— Omnes salvi connitimini in iugum, ne in faucibus circumveniamur a hostibus! clamabat alta voce Szeredai. Agite!


Iussu centurionis milites circiter triginta pulvere⁸³ nitreo⁸³ squalidi⁸⁴ connitebantur in iugum. Duo tympanistae discipulum Sárospatakiensem trahebant, qui febricosus nunc sclopetum, nunc aquam sibi petebat.

Faucibus vix relictis concaedes ab igneis globis tormentorum flammam conceperunt... ex crepitantibus⁸⁵ flammis inter tonantia tormenta gemitus iuvenum morientium, qui gravibus vulneribus obruti iacebant, percipi potuerunt. Flammis consumpti sunt!

In iugo obnixa stabant iuvenes morituri. Silvae resonabant hymnum Caesaris Russorum, ubique in extremis silvis ingens hastarum multitudo apparebat.


Reliqua deinceps persequemur.

73 töltés! 74 tüzelj! 75 átkozott! 76 rekedt 77 hörög
78 megrongál 79 megtapogat 80 vonaglik 81 kapaszkodik
82 széteszlik 83 puskapor 84 füstös 85 recseg.



Henricus Poincaré princeps¹ curatorum¹ rei¹ publicae¹ Gallicae nunc rei² publicae² caput² creatus est. Vir ille clarissimus, non solum consilio et oratione in Gallia plurimum valet, sed etiam scriptor non mediocris habetur.

Ultimis his noctibus in sinibus Germaniae aëroplana Russa apparebant, quae luminibus³ missis³ locorum naturam speculabantur. Nuperrime aëro-



¹ miniszterelnök ² köztársasági elnök ³ fényező


plano delapso vector, militum praefectus Russus necatus est. Speculatione⁴ manifestā milites aëroplana hostilia ictu⁵ petere⁵ iussi sunt.

Veronese navis Graeca Vico⁶ Spacorum⁶ in Brasiliam profectura fracta est. Multi vectores periisse feruntur. Frustra mittebantur nuntii telegraphici, nulla navis in tempestate vehementissima periclitantibus auxilium ferre poterat.

Sebenico navis oneraria, qua laetamen⁷ artificiosum⁷ vehebatur, prope Tergeste⁸ dis-
plosione factā vastata est. E quattuor hominibus, qui in navi erant, duo necati sunt.

Centesimus est annus, cum Batavia⁹ sui iuris facta est. In cuius rei memoriam praeter domum Pacis inaugurandam¹⁰ Hagae sollemnia plurima celebrabuntur. Urbes florentissimae, quibus Batavia abundat, propalam¹¹ collocare¹¹ res artis operibus confectas parant, quibus et civium et peregrinorum animos tentum iri sperant.

Domibus maximis, quae ob altitudinem



nubes radere¹² ab Americanis superbis dicuntur, periculum minatur. Omni cautionis¹³ genere¹³ adhibito, trabes¹⁴ ferratae, quibus magna pars aedificiorum exstructa est, robigine¹⁵ consumuntur. Quae cum ita sint,

Novi Eboraci domus amplissima, quae tredecim annis ante septemdecim contignationibus¹⁶ aedificata est, nunc destruenda esse videtur. Demolitione¹⁷ pretia nimirum¹⁸ magna pereunt, quia area¹⁹ coedificata¹⁹ contignationibus quam plurimis reditum²⁰ quam uberrimum poscitur. Itaque posthac aedificia contignationibus paucioribus aedificabuntur, qua re pensio²¹ habitationum²¹ augebitur.

Propinqui eorum, qui cum navi Titanic interierant, de damnis²² restituendis²² cum Stella Alba navigandi societate lege²³ acturi²³

sunt. Damna autem coronarum ducenties septuagies ter centena triginta septem milia et viginti quinque (27,337.025) efficere affirmantur. Vidua domini histrionum²⁴ gregis²⁴ Henrici Harris quinquagies centena milia poscit.

Stephanus Sürü adulescens annorum viginti et unius, qui nunc Budapestini legum²⁵ studiosus²⁵ est, ante hos quattuor annos in urbe natali bubulcus²⁶ erat. Ob paupertatem parentum rusticorum ingenium excolere non potuit, itaque nisi clam, cum armenta²⁷ pasceret, a²⁸ conspectu²⁸ remotus²⁸ libris studebat. Ab aetate quattuordecim annorum per tres annos tantum didicit, ut res diutius celari²⁹ non potuerit. Quodam die patefacta est, puer admiratione afficiebatur, cuius ut ingenium penitus excoli posset, aliquis suorum in urbem eum docendum perduxit. Ibi discipulus privatus omni virium contentione anno MCMX. tentamen³⁰ classis I—IV. subiit, post sex menses classis V—VI., anno autem MCMXII. classis VII—VIII. cum tentamine maturitatis non sine summa laude.

Quae autem adulescenti aderat, soror fuit. Pauper et ipsa, venditrix³¹ est dulciarii,³² quae ingenio fratris cognito, peculio³³ molestissime quaesito eum docendum curavit. Ambo pol³⁴ digni, et frater et soror, qui ab omnibus hominibus maximi habeantur.

In sortium³⁵ ludo³⁵ publico³⁵ sors cum maximo³⁶ lucro,³⁶ vicies centenorum milium, operario Genuensi Stephano Galle, qui in Argentina sedem collocaverat, exiisse fertur. Patriā enim relicta mercennarius³⁷ factus est, quia domi victum quaerere nequivit. Lucro ingenti nuntiato nec domum quidem venit, sed litteras misit, quibus se totam summam patriae, Italiae donare conscripsit, ut ad beneficentiam publicam conferretur, praecipue valetudinariis³⁸ instituendis.

4 kémkedés 5 célba vesz 6 Vigo 7 műtrágya 8 Triest
9 Németsalföld 10 felavat 11 kiállít 12 karcól 13 óvatossági rendszabály 14 gerenda 15 rozsdá 16 emelet
17 lebontás 18 természetesen 19 beépített terület
20 jövedelem 21 lakbér 22 kártérítés 23 pörbe száll
24 szintársulat 25 joghallgató 26 gulyás 27 ökör
28 láthatlanul 29 titkol 30 vizsgálat 31 árúsleány
32 cukrász 33 kis pénz 34 valóban 35 sorsjáték 36 főnyeremény 37 napszámos 38 kórház.



In actis¹ diurnis¹ uxor cuiusdam senatoris fringillam² sibi canariam² avolasse nuntiari iussit; quam si quis rettulisset aut certo indicasset, ubi locorum esset, ei viginti coronas dono daturam. Postridie ad matronam adest rusticus, animal quoddam sub ala³ portans:

— Habitatne, inquit, hic matrona, cui avicula aufugit?

— Ita sane. Num eam mihi affers?

— Avem quidem ipsam non affero, sed nuntiatum venio, quis eam abstulerit. Ecce feles, quae avem devoravit! Iam expende⁴ mihi, quas promisisti, viginti coronas!

N. Szarvas S. I., Aeniponti.

Medicus aegrotum inspiciens: Hoc morbo — inquit — octoginta annos vivere potes. Paulo post medicus iterum arcessitus,⁵ aegrotum consolaturus, eum illo morbo alios quinquaginta annos vivere posse affirmavit.

His auditis aegrotus territus: Domine, tam brevi tempore morbus adeo in peius mutatus est?

Alb. Mittelmann.

— **Vidisti-ne** currum automobilem hac viā vehi?

— Currum non vidi, sed odorem sensi.

S. Szilvássy.

— **Habes-ne** indicem⁶ ciborum,⁶ caupo?

— Indicem ciborum habeo, sed cibos non.

Idem.

Cur vexas, Paule, sororculam tuam?

— Adamum et Evam ludimus.

— Quid tandem?

— Eva comedit pomum totum, mihi autem nihil dedit.

Animalia conventum⁷ habebant, ut de contumeliis⁸ iniuriisque hominum consilium caperent.

— Me brutam⁹ dicunt — querebatur ovis. Si quem stultum nominare volunt, «ovem» dicunt. — Vel «asinum», adiecit auritulus.¹⁰ — Vel, «bovem», adnuit bos. — Vel «camelum»,

exclamavit tuberosus.¹¹ — Immo «rhinocerotem», murmuravit nasutus. — Non raro «anserem» gingrivit¹² anser.

— Rogo vos — inquit vulpes — cur irascimini hominibus, quibus tot nostrum opus¹³ sint, ut ipsorum stultitiam aliquantulum exprimere possint. Hominem posthac nullo¹⁴ pacto¹⁴ respiciendum¹⁵ esse censeo.

Animalia consensu et una voce vulpi approbarunt.

Zeno philosophus hominem, qui in convivio ei proxime assidens tacebat, ita allocutus est:

— Si stultus es, sapienter facis, quod taces; si autem sapiens es, stulte facis.

N. Szarvas, S. I.


Epictetus interrogatus, quis esset dives, respondit:

— Cui id satis est, quod habet. *Idem.*

Democritus interrogatus, qua in re nobilitas consisteret, respondit:

— Pecudum nobilitas in valente corpore, hominum in proba vita. *Idem.*

¹ ujság ² kanári madár ³ hónalj ⁴ fizet ⁵ elhív
⁶ étlap ⁷ gyűlés ⁸ sértegetés ⁹ ostoba ¹⁰ füles
¹¹ púpos ¹² gágog ¹³ szükséges ¹⁴ semmiképen
¹⁵ tekintetbe vesz.



I.

Proles¹ est unius patris et unius matris. Tamen nullius est filius. Quis est?

A. Dévény.

II.

Paulus, Petrus et Sextus inter se poma distribuerunt. Sextus accepit partem tertiam, Petrus partem tertiam reliquorum, Paulus quattuor poma.

Quot poma accepit Sextus, quot Petrus, quot Aulus?

A. Weisz (Cibinium).

III.

Italiae vetus urbs, orbi bene cognita toti, Pars est, mi¹ fili, corporis ipsa tui.

Guil. Lhm. (Vrtsl.).

¹ gyermek

a							
a	a						
a	b	c					
c	e	e	e				
e	h	m	n	n			
o	o	r	r	r	r		
r	s	s	s	u	u	v	

IV.

Litterae in hac figura ita disponantur, ut in² libramentis³ appareant: 1. consonans, 2. pars corporis humani, 3. anni tempus, 4. res pretiosa, 5. pars arboris, 6. dux Romanorum illustrissimus,

7. flumen mysticum; — prima series perpendicularis³ significet feminam haud semper amabilem.

Guil. Lhm. (Vrtsl.).

V.

Me pater Aeneas habuit fidissimum amicum; — Dicitur et claro nomine gemma meo.

Guil. Lhm. (Vrtsl.).

VI.

1 2 3 4 5 6 7 8	poeta Romanus
1 4 8 5 4	utuntur pugnantes
1 2 8 5 6 8	nobis male vult
1 6 8 5 2 3 6 4	nos docet
2 5 1 2	pronomen masculinum
2 3 4 5 6 2	delectat, monet, incitat
6 3 4	dedecet homines
6 7 8	a coquo ⁴ paratur
6 7 8	bestia utilissima
8 5 4 5 6 7 8	poeta Romanus

Guil. Lhm. (Vrtsl.).

VII.



² vízszintes ³ függőleges ⁴ szakács.

Solutiones aenigmatum numeri 9.

I. Iudex fratres in agrum duxit in quo non modo septemdecim equi, sed equus etiam alius quem ipse immiserat, pascebantur. Tum eos divisit. Itaque primo novem, secundo sex, tertio duobus equis pro sua cuique parte distributis, iudex ipse equum suum domum reduxit. — II. Ego. — III. Nosce te ipsum. — IV. Carpent tua poma nepotes.

Aenigmata recte dissolverunt: B. Agárdy (Budapest), I. Aubanel (Parisii), D. Bolgár (Budapest), A. Cseh (Alba-Carolina), F. Dávid (Budapest), C. Ernst (Vindobona), H. Fuller (Edinburgum), P. Gegesi (Claudio-polis), A. Herman (Leopolis), Aem. Kaiser (Vindobona), L. Kiss (Dés), Naszódiensis gymnasii V. classis, B. Orosz (Posonium), N. Papp (Budapest), I. Szumovski (Leopolis), A. Weisz (Cibinium), G. Weisz (Budapest VII. B.), L. Weress (Corona [Brassó]), I. Wildt (Déva).

Praemium Andreae Cseh sorte obvenit.



Socii, qui pretium subscriptionis secundi spatii semestris nondum solverunt, rogantur, ut id quam primum ad administratorem (Budapest, VIII., Szentkirályi-u. 28.) mittere velint.

M. F. (Colloquium). Concede mihi, ut tuum in numero proximo prodeat; quia alterum iam diu lucem exspectat. — L. R. (Tyrnavia). Utraque aenigmata facillima sunt. — Aliquot Americani discipuli et discipulae cum Hungaris commercium epistolarum Latinarum desiderant. Si quis vestrum primam epistolam mittere vult, a moderatore de domiciliis locisque amicorum Americanorum edoceri potest. — De Rembrandto fabula iam prodiit. «Dardanum» in lucem edere operae pretium esse haud putaverim. Misisti iam meliora. — I. G. (Cibinium). Recentiora mitte, mi fili! — Ladislaus P. «Funus» occasione oblata publicabitur. Patientiam! — Scout-boys. De hac re iam bis verba fecimus. — Stephanus F. Aenigma mathematicum iam prodiit. Ultimum e quattuor fortasse delineandum curabo, ut publicari possit. Reliqua parum valent. — Certatio dearum. Fabella nota est lippis et tonsoribus, ut aiunt. Bene scribis latine, aliam mittere poteris. Salse dicta mihi non satis liquent. — Aeniponti. «De Cicerone» similiaque lectoribus nostris parum appetenda mihi videntur. Carmen illud celeberrimum autem longiusculum est pro spatio harum plugar. m. Gratissima mihi essent opuscula ad usum lectorum minimorum conscripta. Pro iis, quae animo benigno misisti, gratias. — Omnes socios, quorum opuscula lucem exspectant, hisce rogamus, ut paulisper patientiam adhibere placeat. — De reliquis proxime.

Moderator ephemeridis STEPHANUS SZÉKELY DR. Budapestini, Üllői-út 71., ad quem litterae quaecunque mittantur.

Sumptibus moderatorum ephemeridis: Magyar Középiskola.